



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Monasticæ perfectioni quænam sint necessaria: creaturarum speculatio vt sit loco vehiculi ad Deum, exercitium amoris quotidie cuiusmodi adsumendum, quomodoq[ue] mente sit iugiter orandum Epist. XLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Sextum vt huius vitæ ac omnium quæ hic geruntur in mundo tædeat te præ amore & d. fiderio creatoris, redemptoris ac amatoris tui. Cui flammigeris desiderijs per amorem vniri, & ab eo velut infinito amore penitus absorberi, continuo & amoroso mentali exercitio (quod omnibus alijs exercitijs præstat) anhelabis. Quem semper & vbique presentem intueri, reuereri, amare, colere atq; laudare debes. Cui super omnia placere, inhære ac vniri studeas, & eius honorem ac beneplacitum vbiquè semper quærere.

Tædium vitæ ac rerum omnium quæ adsumendum.

Septimum vt à phantasmatibus ac imaginibus intellectum tuum studeas purum efficere, quæ admodum affectum debes liberum seruare ab omni vitioso amore, vt sic nuda, pura liberatq; mente possis Deum in te recipere, Deo coniungi, in Deum absorberi, ac Deo vniri.

Intellectus & affectus vti sint purificandi.

Octauum, non doleas, sed gaudeas de profectu aliorum: nec desperes de Deo circa te, si non senseris studium tuum prosperari ad spiritualem profectum sed credas Deo, committas te Deo, confidas Deo indignam te arbitrans vel minimo beneficio auxilioque diuino, contenta stes atq; resignata quicquid Deus imposuerit, aut negauerit, aut subtraxerit tibi in omni mentali liberatione & subtractione sensibilis gratiæ. Desideres atq; contenta sis, vt ita sis, ita tecum agatur, tantum tibi detur, quantum & quomodo Deus voluerit. Hæc sit perfectio tua, ambulare per viam, quam te Deus ambulare voluerit, & esse sicut Deus voluerit, scire te minimis indignam: nec tamen pigrescere aut à seruire deficere, sed rationabiliter totis viribus (non tamen in spe virium tuarum aut industriæ propriæ, sed diuinæ vnitatis & largitatis) insistere vt in nullo displiceas Deo, & nihil omittas quod credas illi placere: & laboris tui fructum atque diuinæ benedictionis finem, exitum ac præscientiam illi credere & committere. de futuris non velle scire nec inuestigare, sed bonitati eius fidelissimè atque constanter confidere, inniti atq; inhære.

Confidere quantum Deo quisque debeat.

Hæc si seruare studueris filia, breui pertinges ad magnam pacem & puritatem cordis, qua nihil potest dulcius aut iucundius optari in hac vita. Habent homines huic mundo misere dediti sua quædam externa, vana, momentanea & multis amaritudinibus velint nolint permixta gaudia, ac breui in æternos cruciatus mutanda. Tu Christum solum quæras & ames, illo vno abundè contenta sis: illum semper geras in corde: ille solus tibi versetur in ore: illi placuisse summa sit consolatio tua: illi seruire & obtemperare, præcipua & vnica sit animi tui oblectatio. Ita hic vitam viues longè felicissimam, & post breues huius exilij labores venies ad Christum sponsum tuum, cum illo victura in æternum. Vale filia.

Monastica perfectioni quantum cum primis sint necessaria: creaturarum speculatio vt sit loco vehiculi ad Deum, exercitium amoris quotidie cuiusmodi ad sumendum, quomodoq; mente sit iugiter orandum.

Epistola XLV.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS. deuotæ Deoque dicatæ filiæ ac sponsæ Iesu Christi, feliciter inter thalamum amoris introduci.

Gratulandum tibi est filia, non tam quod relictis parentibus relictoq; Mundo monasterium intrans, virginum contubernio sacro lociaueris (quamuis haud parum referat, vbi aut cum quibus viuas) quam quod affectum tuum ad seculum, ad parentes, ad amicos (vt alia quæ homines amare solent, taceam) omnem transfuleris in Christum: quod mundo Christi amorem prætulero, quod amorem peregrinum abs te expuleris omnem, quod denique libertatem carnis mutaueris spiritus libertate. Idcirco enim nequaquam satis tibi visum est mutasse locum Monasteriumq; intrasse, animo adhuc seculo hærentem quod in plerisque cernitur, quorum animus est secularis, tamen si corpore uiuant in Monasterio nisi mutares & animum. Porro non leui coniectura persuasum mihi est, te animum, quem religiosum ac germanè pium semper habuisti, nunc quoq; multo omnium maximè habere: quando quidem viam ad perfectionem tam auidè nosse cupis, tam sagaciter inuestigas, tam deniq; studiosè conaris ambulare, quo placeas Deo. Quamobrem principio omnium nosse cupis, quæ ad perfectionem sit via. Audi Christum: *Ego sum via, veritas, & vita.* Propterea enim de cælo descendens ad nos venit Dominus Iesus, vt iuxta Prophetam doceat nos vias iustitiæ, & ambulemus in semitis eius. Christum itaq; imitari, est perfectionis viam ambulare. Nihil enim in via Christi est imperfectum. Quapropter quâdocunq; quamdiu etiam Christi fueris imitata, à perfectionis haudquaquam es hallucinata itinere. Sed obstant mihi, inquis, multæ occasiones ab illa perfectione abducences, obstant tentationes, obstitit quoq; carnis infirmitas, vnde languor animæ oritur, q; sæpenumero ab itinere perfectionis declinatur. Cupis, propterea regulam tibi monstrari, q; nō abducaris à viæ rectitudine. Dicerè melior è: nō posse certiorèq; inueniri regulã, q; Christi vitã, nisi mox adijceres hoc tibi iã peritissimum esse, doceri te idcirco malle, qua prudètia deuotionū laqueos vitare queas. Respondere possum: Si medicus quamuis ipse ægrotus, alijs tamen nihilominus præcepta dat sanitatis, mihi quoque dicere tamen si corpore & animo ipse sim ægrotus, vt quæ mihi videantur necessaria huic studio sancto, liberè explicem. Scripsi nuper Enchiridion quoddam Christianæ militiæ, quod illud non docet, quam institutionem, directionemq; ad veteris hominis mortificationem, quæ spiritualis vitæ perfectionem præcedat, oportet. Libellum hunc lege. Veruntamen vt interim id quod incipientibus in via Dei ambulare necessarium fructuosumq; est, licet alibi diffusius dictum: hic summam placendi Deo, qua quicquid noueris Deo placere, quicquid per eundem abs te didiceris exigi, mox impigra facias, & quicquid sit illud quod hunc odisse deprehenderis, id maximopere euites. Itaq; propositum sit tibi firmum Deo nolendi displicere. Deinde occasiones quoq; delinquendi studiosissimè fugias. Eam ob rem abstractam oportet quantum licuerit, agas vitam, colloquendi occasiones diligentissimè vitans. Necessè est, inquam, vt silentium solitudinemq; quam maximè diligas & obserues. Ad hæc, otium caueas tanquam rem execrabilem atque deuotionis tinea. De rebus quæ ad te nihil pertinent, aut quarum tibi non est reddenda ratio, te non intromittas, Item, pro nulla re disputes aut contendas. Alienos defectus, ceu non videns, præ-

Ut quidam
modum
corpore nō
animo defe-
rant.

Ad perfecti-
onem quæ
fit via.
Ioan. 14.
Esaiz 1.

Multæ vt
sint perfecti-
onis impe-
dimenta.

Enchiridion
militiæ
Christianæ
quid doceat.

Quid in pri-
mis necessa-
rium tendē-
ti ad perfe-
ctionem.

terea

teneas. Virtutum studio non minus oratione, quam virium conatu infistas. Cor tuum in puritate, pace, tranquillitateq; semper teneas. Hæc si obserua-
ueris, initium, mihi crede, optimum, atque perfectionis fundamentum tibi
locasti. His tamen accedat oportet exercitium diuini amoris, quo tibi dispi-
ceas, quo placeat Deus, quo eius discas beneficia, intelligas amorem, ad reda-
mandum accendaris, exciterisq; ad Christiformis vitæ obseruantiam. Itaq;
hæc nisi obtinere studueris, vanum erit opus tuum. Nisi enim abstracta in-
ternaq; fuerit conuersatio tua, vt in omnibus quæ vides aut sentis, Deum in-
telligas, Deum cogites, atque Deum propterea plus diligendi in his licet
prophanis occasionem quæras, ibis tanquam absque gubernatore, nauis: in-
certa vbi fuerit tibi applicandum. Creaturæ tibi arridebunt omnes, allicient
te paulatim, oblectabunt tandem. Deinde consuetudo iocandi fabulandiq;
succedet, peribit deuotio, orandi serueur tepescet, intrabit distractio, cogita-
tionum aderit tumultus, euagationes multiplicabuntur, paulatimq; ad
eam venies tepiditatem, quam vix exus nisi longa magnave tribulatio hanc
tibi iterum eliminauerit. Inter omnia igitur creaturarum solatia esto tem-
perantissima, quo ijs magis refocilles spiritum, quam carnem. Cures quo-
que occasiones inde haurire ad mentis eleuationem in Deum, ad compun-
ctionem & ad amoris stimulum. Cures, inquam, vt omnia te ædificent, omnia
te in Deum trahant omnia in eius laudem ac amorem prouocent, omnia ti-
bi prædicent Deum, eiusq; sapientiam tibi omnia commonstrent. Non infi-
cior, ijs qui creaturis abutuntur, plerumque easdem esse in laqueum. Quod
tamen haud quaquam creaturarum contigit vicio nec culpa est creatoris, sed
abutentium quo suis student seruire concupiscentijs per creaturarum inor-
dinatum vsum. Hi enim cum aliud nesciant, aliud non querant, aliud in cre-
aturis non sapiant, quam suam delectationem, suumq; commodum, quid mi-
rum est si his capiantur dum in ijs requiescunt, dum creaturis rectè vti nesciant?
Hæc igitur eorundem est merces, vt consequantur quod amant. At ti-
bi filia nihil in hac parte debet conuenire cum illis. Siquidem ipsi diligunt
creaturas, tu amare debes creatorem. Ipsi amant creaturas propter lucrum,
commodum temporale, atq; propter delectationem, quæ ex eisdem recipiunt.
Tuum est creaturas non aliter diligere, quam in Deo & propter Deum. Tan-
tum has dilige, quantum in his Deum inuenis, quantum creatura lucet tibi
quæuis ad creatoris cognitionem, quatenusve ad huius contemplationem
conducit, & quatenus confert ad eius amorem: Oes enim creaturæ, si sapere
volueris, suum tibi loquuntur commendantq; creatorem, illum tibi osten-
dunt, ad illumq; hoc est: ad eius amorem te inuitant. Quocirca quicquid no-
bilitatis, q; qd decoris quicquid indutrix, quicquid scientiæ, quicquid conso-
lationis: & vt simul omnia dicam, q; qd laudandum, q; qd admirandum ve
in creaturis cernis, in infinitum id scito nobilius pulchrius, dulcius, mirabi-
lius, laudabiliusq; esse in creatore, tanquam in omnis bonis origine.

Proinde, quandocumq; delectabile, quid inuenis in creatura, haudqua-
quam ibi sistas. Sed hoc tibi persuadeas, hoc tibi creaturam loquentem au-
dias atque clamantem, hoc illam sentias te admonentem, vt oculos tuos
ad te mox auersos ad creatorem conuertas, in quo incomparabiliter infini-
toque modo, id est, excellentius, quod miraris reperies, quam in creatura.

Perfectionis
fundamen-
tum quod.

Quænam à
perfecti one
impediant.

Creaturæ
solatis vt sit
vitandum.

Creaturæ
cur plerisq;
noceant.

Creaturæ
vt sint dili-
gende.

Creaturæ
omnes vt
nos ad Deū
remittant.

verbi

Verbi gratia: Si sol, luce, decore, calore eue suo te oblectauerit, animus hic tuus non requiescat, nec super hac delectatione gaudeas. Non sufficiat, inquam tibi, quod inuenisti, quod te oblectet. Conuerte ad originem te, attende quam pulcher, quam amabilis, quam amore ardens, quam denique bonus sit, qui æquæ temporale hoc lumen atq; spirituale tibi confert, qui id ipsum æternum tibi promittit, qui tibi & propter te condidit omnia. Tibi inquam, condidit, non sibi, hoc est, ad commodum tuum, non suum. Vide radios bonitatis ac pietatis eius diuinæ, quos super bonos ac malos emittit. Hic est enim animæ tuæ sponsus. Hic est tui redemptor atq; amator. Hunc aliquando dum eras in seculo non agnoscebas, nec tui amatorem sciebas. Ignorabas quoque, hoc est, non cogitabas eius bonitatem, omnipotentiam, eius pulchritudinem, eius erga te amorem. Ignorabas quid tibi fecerit, quanta sit largitus, quanta denique pro ta passus. Itaq; quia ignorabas eum, idèd non amabas. Iam verò ab eodem vocata accessisti, introisti in eius cubile clausum. Cubile voco hoc monasterium, pro spreto mundo eidem es desponsata. Ibi non nihil de suo tibi ostendit decore. Ibi eius dulcedinem gustasti. Ibi sensisti eius amorem. Ibi sui te notitia illustrauit. Ibi denique te sibi in sponsam, in reginam, in cælestis sui regni perpetuè adoptauit consortem.

Matt. 5.

Quantam
Deus animæ
ad ipsam cõ-
ueriæ præ-
stet dignita-
tem.
Psal. 8.
Psal. 40.

Creaturæ o-
mnes vt Dei
laudē præ-
dicent & ze-
lentur ho-
norem.

A creaturis
animus ad
creatore[m]
reuoandus.

Meditare igitur cuiusmodi habeas sponsum, tam sapientem, tam potentem, adèd bonum, adèd suaue[m], adèd tui amantem, utpote qui creauerit, qui gubernet, cui seruiant, quem tremere habeant omnia, & qui hic tibi quodq; vt regine subiecerit vniuersa. Vbi nunc potentia Regum, vbi Imperatorum potestas? Nonne oēs tuo sponso comparati, sunt quasi non sint? Nõne coram eo quasi nihilum & inane reputantur, vt Propheta dicit? Quæ virgo, quæ domina iactare potest talem sponsum, quò tu? Quæ est, quæ de sponsi sui possit nobilitate, virtute, amoreq; adèd gloriari, quemadmodum tu? Esto itaq; ei fidelis, vt ipsum solum ames, huic soli placere cupias, soli huic inhæreas, huic tibiq; & in omnibus cogites, eius honorem ac beneplacitum sitias ac quaras. Quò enim tu sponsi tui non prædicabis magnificentiam, quomodo ipse non zelaberis honorem, cum omnes id faciant eius creaturæ? Cum enim hoc ceperunt, quod illis indidit creator, quod mandauit, quid quæso aliud agunt, quam quod potentiam, & sapientiam eius prædicant? Itaq; sige omnes tam creaturas procedere, atq; tibi actus suos certatim ostendere sibi concreator, seu vt vocamus naturales. Videbis omnes mirum in modum, ambiciose pro sui creatoris honore & gloria zelari. Ostentabunt singulæ, quicquid à suo receperint creatore. Indicabunt tibi, quid à sponso tuo in sponsa, hoc est, in tui ministerium receperint. Nihil celabunt, ne gloriæ creatoris quippiam videantur detrudere. Itaq; quascumq; videris creaturas, singulæ tibi clamabunt: O soror (sororem te vocant, quia tecum habent, eundem patrem. Neq; enim creando plus laborauit tuus pater cælestis quando te fecit, quam vbi flosculum creauit. Hoc tamen interest, quod flosculum creauit propter te, nõ te propter flosculum.) Ergò ò soror, inquit, quid nos inspicias? Nihil in nobis habes mirandum.

Mirare potius eum, qui fecit nos. Quomodo enim nos vides ipse nos fecit, & quomodo voluit nos fecit. Noli igitur nos mirari. Neq; enim nos ipsi fecimus nos. Qui te creauit, qui te sibi sponsam fecit, qui te ab æterno elegit,

hic propter te nos fecit. Nos completo ministerio nostro transibimus, hoc est, peribimus. Tu ut perpetuo maneat cum eo, qui est sempiternus, utque semper viuas cum eodem qui te fecit, facta es. Quicquid in nobis vides boni, quicquid in nobis laudas, in infinitum melius & nobiliter est in opifice omnium rerum Deo. Itaque quando Solem vides in fulgore suo, quando te eiusdem oblectat calor, quando item tonitruum reboat, quando micant fulgura, quando flores aut visum coloribus aut odoribus olfactum alliciunt, quando piscis in aquis ludunt, quando aures denique tuas auicula cantu suo demulcet: postremo quando arbores & reliqua quaeque videntur florent, intellige propter te cuncta haec fieri. Nam opus officiumue naturale cuiusvis creaturae laus est & praedicatio creatoris, est praeterea tui instructio, est quoque exercitatio tui ad obediendum Deo, ad intelligendumque Deum: est postremo tui, quae in Dei seruitio ac laude torpes, confutatio, perinde ac si quaelibet creatura, dum naturale suum exequitur officium, tibi diceret. O ingrata & deserta creatura rationalis, tibi creator noster subiecit nos vniuersas. Nos in eius laudem, quae statuit eadem obseruamus. Nos tibi, quo creatori maneamus obediens, seruimus. Vide quantum te Deus honorauerit, qui omnia haec quae vides, in tuam utilitatem creauit. Disce ex nobis, quis sit, qui te, & nos propter te, imò propter te omnia creauit, quam potens, quam sapiens quam bonus. Hoc itaque modo quamuis audi creaturam tibi loquentem. Scire ne vis, qualem omnium conditor me fecerat Deus? Attende quid sciam, & inde quis sit qui mihi hoc dederit, quis artem hanc me docuerit, perpende. Ecce quam lacem, quem splendorem, quem denique calorem ego emitto dicit Sol. Vide quid praeterea mihi dederit Deus: Nempe ut tellus ex me foecundaretur, ut crescant germina, & floreat vinea, rursusque cuncta arefcant, ut vna res indaretur, alia interim liquefcente.

En natandi artem & in aquis ludendi mihi datam ait pisciculus. Quid me inspicis inquit auicula? Num quod vno non permaneam loco miraris? Vide quam sim pennata, quam colorata, quam leuis & velox ad volatum. Audi praeterea quam docta sim canere tenui hoc rostro. Quid stupes? Non me laudes, sed pro me lauda creatorem, imò pro te, quod me reliquaque omnia in tui obsequium tibi dederit. Quid stupes tandem ait aranea: Nunquid quod docta sim & filare & texere? An quod de pariete in parietem per medium aërem sine pennis feror, aut quod sursum deorsumque rete texo muscis capiendis idoneum? Nonissimè quid me persequeris? dicit pulex. Viquequo super his homo gygas? Quid tibi lorica & enses conferunt, cum ego bestiola exigua te mordere audeam, sanguinemque tuum tibi velis nolis exugere? Ecce gladio protectum & galea intado: tu si potes te defende. Disce igitur non minari proximo. Disce te non velle vindicare. Disce modicus & infirmus esse in oculis tuis. Disce subdi Deo, cum timere me habeas puliculum. Quid dicam ultra? Vides lepusculum fugientem, cogita quod tibi fugiendum ab hominibus mundanis, hoc est, quorum loquutio conuersatioque est mundana. Nisi enim paruitati tuae desideris, fugerisque delinquendi occasiones ne capiaris, frustra ociosusque tibi suam fugiendi velocitatem ostentauit lepusculus. Hoc modo omnes tibi loquuntur creaturae: Hoc modo te instruunt ad meliora. Hoc modo creatoris sui tibi commonstrant virtutem: ut videlicet in

Officium
cuiuslibet
creaturae
naturale
quod sit.
tal. 3.

Creator ut
pos. it ex
creaturis a-
guosci.

Sol.

Pisciculus.
Auicula.

Aranea.

Pulex.

Lepusculus.

Cc

ipfis.

ipsis, hoc est, in creaturis videas, quam sapiens, quam potens, quam bonus sit
 Sponsus tuus Dominus omnium Deus, conditor creaturarum & guber-
 nator. Nihil enim decoris, nihil potes inuenire bonitatis in aliqua creatura
 ram, quod in infinitum non excellat, aut quod nobilius non sit in creatura.
 Hoc idcirco scribo, quo te admoneam ex creaturis, quomodo te extimale
 ad amorem creatoris, quomodoque nihil queant tibi nocere (si volueris) crea-
 turæ. Nisi enim hoc modo creaturarum te oblectet venustas, nisi oculo hoc
 contemplationis creaturas intuita fueris, nisi spirituale quid in his de
 Deo meditata fueris, vanum continuo aliud aut mundanum aliquid,
 aut certe carnale ac noxium tibi subibit in mentem. Nisi enim cor bo-
 na, aliqua cogitatione occupetur, ociosum illud esse non potest, sed
 mundana tractat: Verbi gratia: Ecce iam Verni amenitas temporis pro-
 dit, quo iam omnia quasi cum Christo mortuo resurgunt. Repullulant enim
 cuncta atque ipsa sua nos renascentia afficiunt. Trahunt alia in voluptatem,
 alia in admirationem, alia contemplandi materiam præbent, alia exercitium.
 Hamus vniuersa, nunc pingitur ornaturque & decore, & varietate. Hic flores,
 hic gramina, hic folia, hic reliqua quæque virentia offert. Flagent hic odo-
 res suavissimi, ibi colorum varietas oblectat. Quid inter hæc meditentur
 cor virginis sanum & iuvenile, nisi spiritualis illud roboraret cogitatio,
 aut nisi hæc omnia referret in Deum? Hunc igitur omnium conditorem si-
 pores, hunc ornatus, hunc decor, hunc palchritudo, hunc lux, hunc bestiarum
 vniuersaque pecora campi, hunc volucres cæli piscesque maris, hunc artes indi-
 strixque quæuis humanæ loquuntur. Ad hæc autem ut creaturarum audias vo-
 ces, iuuabit te quod omni tempore studium tibi sit cum Deo colloquendi, et
 fit) per orationem maximè mentalem, per meditationem, per aspirationem
 quoque mentis. His enim si assueta fueris, tam vñs seu exercitatio, quam ipsi
 deuotionis vnctio diuina quid contemplando creaturas meditari, quomo-
 do ex ijs ad Deum affici, quomodo ve ad eum aspirare, quid petere, pro quo
 gemere, pro quo denique debeas gratias agere, te docebunt. Oportet nihilominus,
 quodianum habeas exercitium amoris erga sponsum tuum quo spiritus tuus
 quotidie reformetur, renouetur, reflagret, roboreturque. Huiusmodi exerci-
 tia ad varios multa iam pridem scripti, & indignum est ut tibi tuisque
 Christo tecum seruiunt, quæ eundem quoque sponsum suum imitari gestant
 sodalibus, & sub tam deuotæ ac venerabilis Dominæ moderatione vitam
 gentibus, huiusmodi aliquid negem. Itaque mitto tibi hic exercitium amo-
 ris, quo singulis horis (cùm horæ sint diei naturalis quatuor & viginti) ut
 Domino loquaris, meditans orans, aut gratias agens. Hoc autem exercitium
 in Christi vita, passione ac beneficijs versatur, quæ maximè ad Dei exstimu-
 lant amorem. Cùm itaque ut dixi viginti quatuor sunt horæ diei, cuius autem
 horæ danda sit trina meditatio siue gratiarum actio Christi beneficiorum,
 sequitur in quolibet die exercitium hoc constare ex ter viginti quatuor ar-
 ticulis, hoc est, ex septuaginta duobus. Qui numerus in sacra scriptura quoque
 aliquoties obseruatus, mysterij ratione non caret. Sunt igitur septuaginta
 duo articuli infra numerati, quibus ad redamandum sponsum tuum, cor tuum
 excites (si volueris) quotidie. Adduntur quoque versus, qui hoc indicent, seu
 significant, vtiliter explanati. Duorum enim primorum versusum, vrei que seu
 rccc.

Creaturæ ut
 pro sint nec
 quicquam
 officiant.

Verum te
 pus quid no-
 doceat.

Ut creatore
 loquantur
 omnia.

Creaturam
 voces unde
 audiantur.

Exercitium
 amoris quo-
 tidianum
 et simi. o-
 portere.

Exercitium
 amoris ad
 horam quæ
 us diei qua-
 le.

D. VI
16

recenset Articulos, qui simul numerati faciunt duodecim, reliqui omnes quinque. Quo fit ut collecti simul reddant Articulos duos & septuaginta, quibus tui quotidie sis memor sponfi ac redemptoris. Verum scio quid obijcies: Quomodo possum inquis singulis horis mentem ad Deum eleuare quomodo scintillas possum amoris exufflare, Deoq; gratias agere, cum multis necesse sit horis dormire, corpusq; reficere, quo tempore simul orationi vacat nemo? Certè filia, spirituales mentes etiam edentes & aliena tractantes nihilominus orant. Neque enim ad externa spiritum totum effundunt, sed dum externa agunt mente interea loquuntur Deo. Verum ut obiectioni respondeam, non hoc necessarium puto ut singulis horis, suas tribuas meditationes orationesve quibus edis, dormis, aut aliter fueris occupata, sed vt toties ter Dominum intra diem ac noctem alloquaris, quot sunt intra diem & noctem horæ. Atque ided exercere potes te in vna hora tempus præueniendo, vt pro frequentibus tribus quatuorve horis sis libera, quibus dormire habes, aut alijs fueris rebus necessario occupata. Sufficit igitur per diem vt septuagesies & bis ad Dominum te conuertas, illumq; laudes & adores, quamuis diuidas in quascuq; volueris portiones, aut in diei tempora, siue etiam coniungas hoc exercitium iuxta congruentiam status tui, officij tui, aut iuxta tuarum occupationum multitudinem. Quæ si tot tantaq; fuerint, sufficiat si vel semel viginti quatuor Articulos in die fueris meditata, hoc est, si quauis hora vel semel tantum tuo benè loquuta fueris sponso. Erit autem tuum, an singulis velis Articulis Angelicam adiungere salutationem. Tui quoq; arbitrij erit, an dolores septem beatæ virginis Mariæ, septemq; effusiones dominicas inter quinque & quinque Articulos vbique interpositas in vsum acceptare quomodo posui, an intermittere velis. Postremò tui erit iudicij, quid tibi conueniat potius, exercitium hoc ad horas canonicas applicate, an separatim hoc vti exercitio. Ego enim illud ad horas propterea solum applicaui, quo ansam præberem lectori varia cogitandi probandiq; atque nouissimè id quod tibi magis congruum inueniret, imitandi. Satis mihi est filia, mater iam modumq; exercendi administraffe Tuum atq; vniuscuiusque erit sibi illud pro temporis, loci, status, officij, suarumq; occupationum conditionibus applicare. Vale.

Mentes spirituales vt nunquam non orant.

Exercitium, seu excitamentum deuotionis diuiniq; amoris, cuius in præcedenti Epistola fit mentio, ex Iesu Christi passione beneficijsque conflatum, & in articulos LXXII. digestum septem item horis quas canonicas vocant, applicatum: & velut horologium mysticum oculis mentalibus contemplandum.